

bus fideiussorem et principalem in solidum debitorem et etiam pagatorem cum debitis renunciationibus et cautelis. Promisit etiam, quod tempore ferende sentencie, si opus fuerit, in iudicio intererit. Et hec omnia omnibus quorum interest vel interesse poterit docuit et manifesta fieri voluit per hoc presens publicum instrumentum.

Acta fuerunt hec Stelle¹ dyoc. Valent. in fortalicio dicti loci. Testibus presentibus ad hec vocatis et rogatis domino Guillelmo Glacerii iurisperito, R(aymu)ndo de Plyano notario, Iohanne Bernaudi de Ponzino, Guillelmo de Rocha dicto Branchas domicellis. Et me Rostagno Angeli notario auctoritate imperiali publico, qui predictis presens interfui et rogatus et requisitus per dictum dominum comitem hoc instrumentum publicum scripsi et signo meo consueto signavi. (S. N.)

II.

1311 Jan. 15.

Heinricus Dei gratia Romanorum rex semper augustus venerabili episcopo Valent. principi suo dilecto gratiam suam et omne bonum.

Gravem querelam nobilis viri Aymarii de Pict(avia)^a comitis Valent. recepimus continentem, quod licet ipse et predecessores sui comitatum Valent. tamquam domini et ipsius comitatus comites tanto tempore tenuerunt, cuius contrarii memoria non existit, tu tamen tuorum predecessorum non contentus limitibus huiusmodi comitatum tibi usurpas, te scribi in critis, monetis et nummis et nominari faciens comitem in sui preiudicium iniuriam et gravamen. Unde sinceritati tue damus firmiter in mandatis, quatinus a talibus desistere debeas nec aliquam novitatem contra modum et formam tuorum predecessorum incohes vel atemptes^b et si quid in contrariam per te atemptatum^b existit, hoc provide studeas revocare. Alioquin sibi super premissis providere cogitabimus de remedio opportuno^c.

Dat. Mediolani, XVIII. Kal. Febroarii, regni nostri anno tercio.

III.

1312 Dec. 26.

In² nomine domini amen.

Notum sit omnibus, quod dominus Iohannes Fazellus legum doctor civis Pisan(us) ac syndicus procurator et

a) Pictavia 2. b) attempt. 2. c) oportuno 2.

1) Étoile s. Valence. 2) Das Stück ist von der Hand des Ber-